



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

82. Sobriè, justè, piè vivendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

## SYMBOLUM 81.

*In nomine Jesu omne genu flectatur; caelestium, terrestrium, & infernorum. Philip. 2.*

**I**Nter adorando curvetur nomine **J E S U**  
 Omne vel Aligerum, Terrigenumve genu.  
 Plaudite Terricolæ, quibus orci vincla refringit,  
 Orcicolæ credunt, cumquæ tremore, colunt.

**O** Trias ! hoc cunctis sit amori, sitquæ saluti

(a) A Te, nomen, Jo. ! quod super omne, datum.

(a) Cur nomen **J E S U S** magis soleamus honorare, quàm nomen **Deus**? quia **Deus** significat Deum, quæ Dominus & Creator est, **J E S U S** significat Deum, seu suppositum divinum, quæ Salvator & Redemptor est; nihil autem nasci profuit nisi redimi protuisset, canit ecclesia in benedictione cerei paschalis. Ex S. Greg. in pastor. Et ideo etiam nomen **J E S U S** in vanum sumere, majus peccatum est. vide de hoc Abul. eruditè scribentem in Exod 20. q. 7.

N. 2. Christi sunt præcipua tria nomina. Emanuël, Christus, **J E S U S**. Emanuël, est idem, quod nobiscum **Deus**, id est, **Deus** cum naturâ nostrâ humanâ, quod est in Christo. Christus, est nomen signans Regem, Sacerdotem, prophetam. **J E S U S** est idem, quod Messias, Salvator. Nullum autem ex ipsis ita proprium ac personale est Verbo Incarnato, ac nomen **J E S U S**. Vide Abul. in Matt. 1. q. 60.

(a) Quærit Abul. quare majoris reverentia sit nomen **J E S U S**, quàm nomen **Deus**, & respondet primo loco penult. cit. quia sic in privilegium datum est a totâ S. Trinit. lege etiam quæ diximus de hoc alibi : p. 26.

## SYMBOLUM 82.

*Sobriè, justè, piè vivendum. Tit. 2.*

**A**Rs benè vivendi, quâ vita perennis aditur,  
 Paulino verbis manat ab ore tribus.

Justitiæ leges cum sobrietate teneto,

(a) Vive alijs justè, sobrius esto tibi.

Tertia



Tertia vox sacrandæ Deo, cœloquè ferenda,  
Vive piè Triadi, præmia trina dabit.

(a) Ex S. Bern. serm. 11. inter parvos, ubi ait: vivamus sobriè erga nos, justè erga proximum, piè erga Deum.

Nota. Ex verbis hujus loci ad Tit. 2. scilicet: apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, sobriè & justè, & piè vivamus expectantes adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris JESU Christi &c. Probant Commentatores contra veteres & novos Arianos, JESUM Christum esse verum, magnumquè Deum.

## SYMBOLUM 83.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. 2.

Tim. 4,

**Q**uis memoret Pauli seriem sine fine laborum?  
Parta, cui duro Marte, corona datur.

(a) Ac velut in stadio quoties attingere metam  
Contigit; & laurum præripuisse alijs?

More fidem servantis hero, constanter amavit  
Aspera pro Triados plurima ferre fide.

(a) Fit hic allusio vel ad agones olympicos in quibus luctando, pugnandoque: vel ad stadium, in quo currendo, certabatur: ubi victores bravij & coronis a brabeutâ donabantur. Talis agon vel stadium erat vita Pauli: bravij, gloria cœlestis, seu visio SSS. Trinit. Brabeuta seu præses certaminis; SSS. Trias.

## SYMBOLUM 84.

In ipso vivimus, movemur & sumus. Act. 17

**N**ec vitam dedimus nobis, nec traximus esse,  
Immotæ Triados motus ab ente venit.  
Piscis in oceano, movet ales in aëre pennas,  
Sed vitæ & motûs unica causa Trias.

Quil-